



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

De perspicuitate orationis Ecclesiasticæ. Cap. VII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

foendat; quod quidē per se nihil esset, si interdūm risum
 non moueret, & muneris existimationem non minueret.
 Quare nec essarium est ei, qui dicit ad populum, dare o-
 peram, vt emendatē loquatur; & in ea, in qua natus est
 lingua, se exercens molestas quasdam voces mutet, aut
 corrigat. Caueat tamen, nē propria lingua oblitus, nīmū
 studium in aliena, mutatis vocibus & accentibus, ponat.
 Solet enim plerūq; accidere, vt in eo affectatio appareat.
 Ipse noui homines, magnam eloquentiæ famam consecu-
 tos, qui voces, quas ab incunabulis didicerunt, non repu-
 diarūt, & magni oratores habiti sunt. Copia rerum, ver-
 borum copiā gignit; rectē dicendi sapere est principium;
 & fons; nihil inani verborum strepitu infructuosius, cūm
 præsertim de gloria Dei, & de salute animarum agitur.
 Quare cauendum est clericis, nē nimiam in loquendo di-
 ligentiam sectantes, in vanitatis suspicionem incidant; &
 dum sermonis elegantiam studiosē sectantur, obscurio-
 res fiant. nam præclarē B. Augustinus inquit: Mālo vt me
 reprehendant Grammatici, quā non intelligant popu-
 li; eligens magis in barbarismis, damnantibus Gramma-
 ticis, intelligi, quā in mea disertitudine, auditores de-
 serere.

De perspicuitate orationis Ecclesiasticæ.

Cap. VII.

ORATIONIS virtus est, perspicuē dicere: quo-
 niam nisi orator itā dicat, vt ab auditoribus intel-
 ligatur, sine dubio nihil vnquā poterit persuadere. Per-
 spicuitas autem in nominum & verborum proprietate
 consistit. quo magis igitur, proprijs vtetur Ecclesiasticus

L 5

orator,

orator, eo magis suspicionem ostentationis effugiet. Propria verba dicuntur ea, quæ communi loquendi usu, recepta sunt, & rem significant, ut magister, philosophus, theologus, reprehendere, dicere, laudare. Non est autem proprijs verbis utendum, cum præsertim prolata, sine verecundia audiri nequeant, aut etiã horrorem incutiant. Sunt quædam corporis partes, quæ proprijs nominibus explicanda non sunt, sed adhibita circumlocutione: insignium etiã & nefandorum peccatorum nomina, suppressenda sunt, & raro admodum proferenda.

Quòd Ecclesiasticus orator interdum uti debeat translatis, ad rem magis exprimendam.

Cap. VIII.

TRANSLATA verba, sunt ea, quæ à propria significatione, ad aliam non propriam, per similitudinem transferuntur; ut sophistæ appellati sunt venatores adolescentium, diuitum in primis, gratia, dicitur fons vitæ; charitas, anima virtutum. Orator Ecclesiasticus cum propositam tantum habeat gloriam Dei, & salutem animarum, translatis eatenus utetur, quatenus id quod sibi proposuit in auditorum animis possit imprimere. Agnum immaculatum appellabit Christum, ut magis excitet ad mansuetudinem; martyres athletas, ut victorias martyrum ante oculos ponat, et ad pugnam cum domesticis inimicis hortetur. Christianos appellabit milites, ut eos magis ad minimè formidandam mortem excitet; orationem, clauem cali; charitatem, ignem amoris nominabit. Multæ autem sunt in translationum usu adhibendæ oratori cautiones. primùm, nè à remotis sumantur; ut si quis audacter